

Stephanus Galdeti

De peccato veniali alica

Editor: Florina Hariga

work in progress

26.06.2026

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| De peccato veniali alica

Posuit quidam respondens conclusiones has.

Prima: quelibet culpa est contra voluntatem seu enuntiationem Dei indicativam. Et hoc de mortali, non est dubium. De veniali probavit,
5 quia vel Deus habet nolle respectu venialis, et propositum; vel velle, et tunc esset bonum illud facere; vel neutrum, et tunc esset indifferens, et cum quandoque sit utile utilitate temporali, tunc simpliciter esset melius ipsum facere quam non facere.

Secunda fuit quod non quelibet culpa est contra voluntatem Dei
10 prohibitivam, puta peccatum veniale. Probavit sic: non quodlibet bonum est preceptum, igitur non quodlibet malum seu boni obmissio est prohibita. Consequentia nota. Antecedens probatur, quia non semper optimum est preceptum, et sic illius obmissio non est prohibita. Est autem mala venialiter, puta obmissio concilii, vel postpositio maioris
15 boni, vel non factio optimi, igitur.

Aliqui tamen dicunt huiusmodi veniale, videlicet non factionem optimi, esse contra preceptum, puta non habere intensissimam dilectionem Dei possibilem sibi esse contra preceptum evangelicum quo dicitur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota*
20 *mente* etc.

Et tunc secundum istos poneretur una tertia conclusio, scilicet quod huiusmodi peccatum sic veniale, et non mortale, non est ex natura intrinseca peccati, sed ex misericordia Dei relaxantis et condescendentis fragilitati nostre. Nam, ut dicunt, non sic fuisset in statu innocentie,
25 nam obmissio optimi fuisset mortalis, et sic non contigisset pec || care venialiter in illo statu, quia nulla fuisset difficultas etc. Quod autem non sic <sit> modo non meruimus, ymo potius demeruimus oppositum propter lapsum.

Etiam iuxta primam et secundam conclusiones premissas hoc idem
30 aliter potest patere, scilicet quod in statu innocentie quodlibet tale fuisset mortale. Nam tunc quelibet voluntas Dei indicativa et econtra fuisset prohibitiva et lex hominis fuisset lex nature que prohibet omne malum et precipit omne bonum, id est indicat omne malum fugiendum et omne bonum eligendum. Quod autem non sit talis lex hominis, nunc
35 ut prius, est ex Dei misericordia relaxante.

1 alica | aliqua P2 3 contra | sup. lin. P2 seu enuntiationem | sup. lin. P1 10 bonum | p. c. sup. lin. P1 ; peccatum a. c. P2 18 contra | om. P2
21 quod | aliquod add. sed del. P1 25 optimi | peccati P2 26 quia — etc. | sup. lin. P1 31 et econtra | sup. lin. P1

Ex dictis inferunt tria. Ex prima inferunt quod peccans venialiter
 5 prefert creaturam creatori. Probant, quia, quando sunt duo moventia
 contraria, sequens libere inclinationem unius prefert quodammodo illud
 alteri. Sic est in peccante venialiter obmittente divinum concilium vel
 maius bonum etc.

Ex secunda inferunt quod non obstante hoc, sic peccans non
 propterea plus diligit creaturam creatore, et hoc dicunt esse valde
 possibile, nam experimur de facto aliquando homines nobis minus
 dilectos magis dilectis in multis preferri.

10 Ex tertia inferunt quod veniale non dicitur veniale ex eo quod
 mereatur veniam, nam nec meretur veniam. Apparet ex conclusione,
 nam quod veniam a pena eterna consequatur ex solius Dei misericordia
 eam sibi relaxantis est, ut dictum est, et commutantis eternam penam
 in temporalem.

15 Quod aliter declarant aliqui, nam quandoque actus qui in imperfecto
 est venialis in homine perfecto est mortalis. Quod autem, si sic sit in
 imperfecto non meretur ipse ex sua imperfectione, que culpabilis vel ex
 culpa est, igitur.

20 Ex alio declarant alii, nam ex se sibi debetur pena eterna, nam etiam
 tali punitur decedens in veniali et mortali. Quod autem non sic sit in
 decedente in gratia est ex gratia et misericordia sic relaxante.

25 || BOKINKAM non tractat de horum differentia, sed tantum de quid
 peccati generaliter et coincidit cum dictis GREGORII || infra positis. Unde
 arguit quod peccare non sit facere vel omittere contra voluntatem Dei
 seu eius legem. Nam circumscripta per ymaginationem omni voluntate
 Dei et omni lege, ymo per impossibile, si Deus non esset et creatura
 rationalis adhuc in sua libertate manens noceret alteri, peccaret et
 faceret contra iudicium rationis.

30 Hoc non obstante tenetur oppositum et adducitur AUGUSTINI 22
Contra Faustum, ut infra, et *De duabus animabus* ubi dicitur quod
 est voluntas retinendi quod iustitia vetat. Ad argumentum dicit quod, si
 Deus non foret, tunc esset alius finis ponendus cuius gratia et in ordine
 ad quem creatura rationalis deberet agere et alia regula cui debeat

P1 64r

P2 105v

10 ex¹] nota hec *add. in marg. P1* 12 misericordia] *sup. lin. P1*
 13 eternam] sibi *add. sed del. P1* 16–17 est² — imperfecto] *om. P2*
 16 mortalis] hoc *add. sed del. P1* 22–25 Bokinkam — legem] Bokinkam de
 differentia inter veniale etc *add. in marg. P1* 22 Bokinkam] 4 *add. in marg. P1*
 23 peccati] *p. c. P2* 24 vel omittere] *sup. lin. P1*

conformare. Cum hoc tamen stat quod de facto divina voluntas est regula, vel posset dici quod ad antecedens, cum sit impossibile, sequitur quodlibet, vel utraque pars contradictionis etc. Premisse sententie de descriptione peccati concordat ANSELMUS 1 *Cur Deus homo*, capitulo
 5 12, “quid est”, inquit, “peccare?” Dicit quod “non est aliud quam non reddere Deo debitum honorem?” Et subdit quis: “honor quem debemus Deo”. Respondet quod “omnis creatura rationalis subiecta esse debet voluntati Dei. Et hoc est debitum quod debet angelus et homo quod solvendo nullus peccat, et omnis qui non solvit peccat. Et hoc est iustitia
 10 sive rectitudo voluntatis que iustos facit sive rectos corde”.

Sed contra, quod peccare non sit contra voluntatem Dei agere etc., quia non contra voluntatem beneplaciti. Nec signi, quia primus angelus peccavit, qui nullum signum, puta preceptum aut prohibitionem etc. Ad idem AUGUSTINUS dicit quod adulterium non ideo malum quia lege
 15 vetitum, sed econtra, igitur.

Item si peccatum esset facere vel omittere contra voluntatem Dei, tunc faciens contra divinum concilium scienter peccaret. Consequens falsum, nam, cum ista sint opera concilii non resistere malo etc., et si quis te percusserit etc., et ei qui vult contendere iudicio et tollere
 20 tunicam, prebe et pallium, et relinquere mundum, et de duobus bonis semper || facere maius, tunc ad ista teneretur quis sub pena peccati.

P2 106r

Ad primum dicitur quod angelus peccavit contra legem Dei et eius voluntatem et signum voluntatis, quia contra rationem sibi datam in sua creatione secundum quam debuit actus suos regulare.

25 Ad aliud de adulterio quod dicit AUGUSTINUS quod non ideo malum, quia vetitum, intelligitur, quia vetitum lege data, scripta seu promulgata. Ad aliud de concilio satis patet quid dicendum.

Tractando de peccato habituali, puta de carentia iustitie seu innocentie que potest per peccatorum multiplicationem in infinitum
 30 augmentari, probat primo multipliciter quamlibet creaturam habere infinitam bonitatem et iustitiam privabilem per peccatum.

Respondendo multa ponit, scilicet inquit: quid privaretur aut que macula relinqueretur in existente in puris naturalibus actualiter peccante? Dicit quod iustitia naturalis et immutabilitas a peccato.
 35 Inquit: an illa innocentia sit essentia nature rationalis, ponitque post talem innocentiam finitam et privabilem totaliter per peccatum, et tamen posse contingere quantumlibet peccare, sicut de linea curvata

1 conformare] conformans a. c. P1 9 solvendo] salvendo a. c. P2 12 quia non] iter. P2 18 nam] sup. lin. P1 21 quis] om. P2 25 quod¹] dicendum a. c. P1 28 de²] om. P2

et privata totali rectitudine que adhuc potest magis curvari. Ulterius inquit: nunquid talis curvitas vel recessus a rectitudine, si sit simpliciter privatio rectitudinis vel aliquid positum?

|| Postmodum querit: nunquid pro momentaneo peccato detur eternum supplicium? Probat ex aliquibus mediis infinitatem malitie peccati et ex pena debita et obiecti et persone offense etc.

P1 64v

Causas multas ad principale assignat. Una est per similitudinem ad leges terrenas. Alii dant tantum, quia in dampnatis manet continue culpa mortalis, sed tunc sequitur quod continue demerentur etc.

Aliter dicit iste doctor omne peccatum esse infinite malitie et ob hoc demereri eternam penam. Illa autem infinitas ex circumstantiis finitis infinite aggravantibus, ut argutum fuit. Sed contra hoc arguit multipliciter, nam sequeretur, ut videtur, omnia peccata eiusdem speciei qualitercumque varia || esse equalia.

P2 106v

Item pariter quodlibet opus bonum foret infinite bonum et meritum minui viatorum equale merito Christi.

Item tunc omne peccatum veniale, cum sit contra bonum infinitum et contra honorem Dei, sequitur quod esset infinite malitie et meritorium pene eterne, contra MAGISTRUM 2 libro, distinctione 42, capitulo dicente quod peccatum mortale obligat nos pene eterne, veniale vero temporali.

Quod autem peccatum veniale sit contra bonum infinitum probatur aliquilater. Sit enim A actus veniale; tunc A caret rectitudine et debito ordine ad ultimum finem, nec producit conformiter voluntati divine, et hic est honor Deo debitus, igitur est contra honorem Dei. Et hec est ratio qua probatur peccatum mortale esse contra honorem Dei deducto precepto “omnia enim debent fieri ut Deo placet”.

Ad idem est auctoritas AUGUSTINI quod peccans quantumcumque modicum penam eternam demereatur, 12 *De civitate Dei*, capitulo 12, dicit de primo homine quod, quia hoc in se peremit bonum quod esse posset in eternum, ideo iustum est quod puniatur eternaliter. GREGORIUS 4 *Dyalogorum*: ad magnam iustitiam iudicis pertinet ut nunquam careat supplicio qui nunquam carere voluit peccato. Hec autem possunt competere veniali, igitur.

Item, sicut nec quis potest ex se auffere maculam peccati mortalis nisi per gratiam Dei, ita nec venialis, et ideo peccans venialiter facit

5 infinitatem] infitatem P1 14 esse equalia] sup. lin. P1 17–20 item — temporalis] ad propositum de veniali add. in marg. P1 19 42] 44 a. c. P1 28 12] sup. lin. P1 29 quia] sup. lin. P1 quod²] esset add. sed del. P2 31 pertinet] pertinent coni. P1 P2

quantum in eo est ut nunquam careat peccato, et per consequens nec supplicio.

Item, si veniale non esset contra honorem Dei, sed solum proximi aut alterius finiti boni non videtur, quare non liceret sic peccare contra
5 honorem unius proximi pro maiori bono alterius proximi.

Item peccatum veniale est contra aliquem ordinem aut igitur contra ordinem ad ultimum finem aut ad alterum finem medium. Si primum, propositum, quod est contra honorem Dei. Si secundum, propositum, etiam cum quidquid est contra finem medium est contra ultimum.

10 Item peccatum veniale in dampnatis punitur eternaliter, ut dicunt THOMAS et ALTISSIODORENSIS, quod non esset nisi esset quodam modo malitie infinite, et per consequens eius aliqua circumstantia infinita. Nulla autem sic potest esse infinita nisi Deus. Igitur est contra Deum.

Nota hic quod malitia peccati intrinseca non videtur attendenda
15 penes Deum, contra cuius honorem fit, nam prius est illum actum male fieri quam esse contra honorem Dei, nam ex eo || quod male fit est contra honorem Dei. Tamen extrinseca malitia potest dici quodam modo infinita, et per consequens meretur infinite puniri. Et tunc quantitas intensiva pene attenditur penes malitias intrinsecas peccatorum et
20 eternitas durationis penes extrinsecam malitiam infinitam.

P2 107r

Nota: AUGUSTINUS *De natura boni*, capitulo 31, quanta pena et qualis culpe debeatur, divini est iudicii, non humani, eo quod talis qualem vult sibi dare.

Ita videtur dicendum de bonitate etc., sed non de merito, contra
25 RIPAM de Spiritu Sancto.

|| Ad ea que tangunt peccatum veniale, sciendum quid est peccatum veniale, dicit quod carentia rectitudinis est formale in omni peccato et est quasi supremum genus peccati. Et tunc per determinationem ad oppositum cum circumstantiis cum quibus voluntas fertur in obiectum
30 determinatur ad genus propinquius et ad certam speciem peccati.

P1 65r

Et tunc quando voluntas fieri in obiectum cum circumstantiis cum quibus repugnat caritati et dilectioni Dei et proximi est peccatum mortale, sed quando fieri cum circumstantiis cum quibus non repugnat, sed stat cum caritate carens, tamen ordine ultimi finis et est contra
35 legem Dei et rationem est peccatum veniale.

3 proximi | proxime P2 4 alterius | peccati add. sed del. P2 5 proximi² |
item peccatum add. sed del. P1 7 ad² | sup. lin. P1 15 cuius | huius
P2 20 penes | penas a. c. P1 21 nota | contra P2 22 talis | sup. lin.
P1 24-25 ita — Spiritu Sancto | in marg. P1 26 ad — veniale | precedens
disputatio est Amandi fuisse et lege vera, Bokinkan ut patet ex tabulam pag. 100
add. in marg. a. m. P2 ad | 5 add. in marg. P1

Hoc videtur opinio AUGUSTINI 21 *De civitate Dei*, capitulo 27, ubi tangens illud Evangelii *qui amat patrem et matrem plusquam me, non est me dignus* etc., tunc dicit AUGUSTINUS: “qui has vicissitudines sic amat corporaliter, ut eas Christo Domino non proponat malleusque ipsis carere quam Christo et, si adhuc non fuerit ad temptationis articulum adductus, per ignem erit salvus”.

Et *Glossa* in Epistola ad Corinthios, capitulo 3, qui amant secularia et terrenis negotiis implicati et dediti sunt vinculis quibusdam et affectionibus carnis, coniugibus et possessionibus, et tamen christiani sunt dicti, ut cor eorum non recedat a Christo et nichil preponunt Christo, edificant quidem lignum, fenum, et stipulam etc. Ista est sententia domini ALTISSIODORENSIS et SANCTI THOME *Questionibus de malo*, questione 97, dicentium voluntas potest ferri in aliquod quod tollit principium vite, ut caritatem, et potest ferri in aliquod quod non sic tollit, sed quodammodo nocumentum affert principio vite.

Sed tunc videtur quod veniale sit mortale, nam || repugnat dilectioni Dei, quia minuit caritatem. Quod probatur satis ad principale propositum de illo qui cum bono opere procedenti a caritate habet peccatum veniale coniunctum. Nam tunc illud veniale minuit meritum suum et facit quod caritas est minor quam si non esset veniale et impedit augmentum caritatis, quod non esset nisi veniale contrariaretur caritati.

Item arguitur de Sorte posito quod Sortem continue per aliquod tempus facit A peccatum veniale et ignoranter credens A esse meritorium vel non peccatum et simul cum hoc contristatur de omnibus peccatis suis et peniteat penitentia interiori et exteriori. Et sic est possibile talem continue demereri a peccato et mereri remissionem A peccati, si concedatur A esse compossibile cum gratia, quod si non, habetur propositum probandum.

Item arguitur in casu de Sorte faciente A scienter: Sortes facit A propter affectionem quam habet ad bonum temporale et scit A esse contra honorem Dei et ad eiusdem offensam, ergo Sortes eligit modicum offendere Deum et inhonorare propter bonum temporale. Ergo facit contra dilectionem Dei qua tenemur ipsum in infinitum plus diligere quam nos aut proximum, aut aliud. Ad idem: quod peccet in casu peccet mortaliter et eternaliter penam mereatur, quia qui facit contra

P2 107v

5 et] *sup. lin. P1* 10 dicti] *dicta coni. P1 P2* 14 quod] *s add. sed del. P2* 15 nocumentum] *auffert principio add. sed del. P2* 21 contrariaretur] *p. c. P2* 26 peccati] *quod repugnantiam claudit et hoc argumentum procedit add. in marg. P1* 27 si¹] *supple add. sed del. P1* 29 arguitur] *sup. lin. P1*

conscientiam edificat ad gehennam; sed Sortes sic facit; igitur.

Item peccatum veniale est magis malum homini quam carentia modici boni temporalis proximo, sed velle proximum perdere bona temporalia vel habere infirmitatem corporalem esset contra caritatem, ergo multo
5 fortius velle se peccare venialiter.

Item, si nullum sit peccatum mortale quod stat cum dilectione Dei et proximi, sequitur quod, si Sortes vellet adulterari vel fornicari et crederet illud non esse peccatum nec vellet illud aliquo modo facere si sciret illud esse peccatum, tunc in hoc casu Sortes non peccaret mortaliter, quia
10 non faceret contra dilectionem etc.

|| Sed ad hoc dici potest quod peccatum veniale nec minuit, nec tollit caritatem secundum suam essentiam. Aliquando tamen tollit fervorem et impedit || in productione actus, et est quodammodo causa quare meritum est minus et minor caritas non tamen tollit illud quod iam est
15 acquisitum.

P1 65v

P2 108r

Item pro quodam alio argumento potest dici quod nullus satisfacit pro peccato dum illud continuat. Potest tamen concedi quod in primo instanti in quo cessat peccare per satisfactionem precedentem totum peccatum esse dimissum.

Potest ulterius dici pro quodam alio quod non omne peccatum scienter factum est mortale, nec per omne tale inhonoratur Deus aut contemnitur, sed per solum mortale, quia solum mortale est contra preceptum de dilectione Dei.

Sed quia differentia supraposita de mortali et veniali videtur multum generalis, dicitur aliter scilicet quod carentia rectitudinis in actu voluntatis potest esse dupliciter. Nam potest esse deordinatio in actu circa finem et illa est semper peccatum mortale. Nam voluntas ex preceptis datis actu vel habitu tenetur actum suum referre in Deum et in hoc tenetur Deo esse subiecta et iste est honor Deo debitus quem qui
30 tollit peccat mortaliter.

Alia est deordinatio in actu respectu mediorum in ultimum finem, ut sunt divitie et similia concessa ad usum creature, et talis deordinatio non est contra honorem vel ad contemptum Dei, sed preter. Et secundum hoc est conversio ad bonum communicabile absque aversione a bono
35 incommunicabili, in peccato autem mortale est utraque.

Et si queratur que est illa iustitia que correspondet peccato veniale et per illud privatur, dici potest quod est una iustitia per quam creatura se habet in recto ordine ad ultimum finem, et hoc privatur per mortale,

3 proximo] *sup. lin.* P1

35 incommunicabili] incommutabili P2

alia per quam recte se habet ad ea que sunt in ultimum finem. Et illa correspondet veniali et per illud privatur.

Aliter dicunt alii quod non oportet quod veniale et mortale differant specie, sed veniale dicitur a venia, quia habet secum coniunctam aliquam causam venie, et sic veniale non privat gratiam, sed aliquis gradus latitudinem peccati et aliquis non. Nec differunt nisi secundum magis et minus.

Et isto modo peccatum in Spiritum Sanctum est mortale, in Patrem aut Filium veniale, quia peccans in Patrem aut Filium aliquam excusationem habere potest || propter inpotentiam et ignorantiam, sed in Spiritum Sanctum peccans, quia ex malitia peccati, nullam excusationem habet, nec causam venie, et ideo de illo solo dicit IOHANNES in sua canonica: *est peccatum ad mortem non pro eo dico ut quis oret*. Et Matth. 12, et Luc. 5 *qui peccat in Filium* etc. Nec tamen omne factum ex infirmitate et ignorantia est veniale etc.

P2 108v

Hec ille de differentia venialis et mortalis

11 peccans] *sup. lin. P1*

13 mortem] *per hoc add. sed del. P1*